Jose Antonio Rojas Carrera
jarcius@hotmail.com

COMPLEMENTA LOCALIA

CAPITVLVM VI

I. **ubi**?

- responsum est casū **ablatīvō** cum praepositiōne **in** si vocābulum est nomen substantīvum commūne vel si est nomen proprium patriae (Hispania, Italia, Gallia, Britannia, ceterae...).

sed responsum est casū **locatīvō** si :

1um. vocabulum est **nomen proprium oppidī**

2um. si id vocabulum, quod est nomen oppidi, **numero tantum singulāri** est.

3um. si id vocabulum, quod est nomen oppidi, est vocabulum **primae vel secundae declinatiōnis**.

casus locatīvus habet formam genitīvi : Rom**ae**, Tuscul**ī**

- responsum quoque est casū **ablatīvō sine praepositiōne**:

a) si est vocabulum oppidī non numerō singulārī, sed plurālī, aut

b) si est vocabulum oppidī, quod non est primae neque secundae declinatiōnis.

exempla:

1. ubi est Roma? –Roma **in** Itali**ā** est. –ubi autem est Italia? -ea **in** Eurōp**ā** est.

2. ubi habitat Lydia? –ea, quae est amica Medī, Rom**ae** habitat.

3. ubi habitat Cornelius? –is **in** oppid**ō** Tuscul**ō** habitat. Cornelius, qui est vir Romānus et amīcus Iuliī, Tuscul**ī** habitat.

4. ubi est Iulia? –ea **in** hort**ō** est ubi rosas videt easque carpit, nam rosae eam delectant.

5. ubi habitat Iulius? – is **in** magn**ā** vill**ā** habitat cum feminā, liberīs, servīs et ancillīs.

6. ubi est Hispania? –Hispania **in** Eurōp**ā** est.

7. ubi est Matrītum? –Matrītum **in** Hispani**ā** est.

8. ubi est Musēum cuius nomen est "Museo del Prado"? –id est Matrīt**ī**.

9. ubi est Lutetia[1]? Lutetia est **in** Galli**ā**.

10. ubi est turris *Eiffel* ? ea est Luteti**ae**.

11. ubi est Londinium? Londinium est **in** insul**ā** Britanni**ā**.

12. ubi natus est Thomas Morus, qui est auctor libri cuius titulus est *Utopia*?

13. is natus est Londini**ī**. (vocābulum *Londinium* est generis neutri, et numeri singulāris. itaque id vocābulum, quod est nomen oppidi, habet casum locatīvum, quia est vocabulum secundae declinatiōnis.)

14. ubi est templum Parthenon? -id templum est Athen**īs**. (vocabulum *Athēnae* declinātur numerō plurālī: nominatīvus: Athēnae; accusatīvus: Athēnas; genetīvus: Athenārum; datīvus et ablatīvus: Athēnīs. oppida sine praepositiōne: -ubi est? -in oppidō Athēnis est. -Athen**īs** est. vocabulum *Athēnae* non habet casum locatīvum quia declinātur numerō plurālī, non singulāri numerō.)

(1 *Lutetia* Latīne rectē nominātur *Lutetia Parisiōrum*. etiam brevius Lutetia nominātur vel Parisiī. linguā Francicā seu Gallicā modernā vocātur *Paris*.)

II. **unde?**

responsum est casū ablatīvō:

1. cum praepositiōne: **a/ab** vel cum praepositiōne: **e/ex**

-si vocabulum est substantīvum quod non est nomen oppidi.

Exempla :

-Iulia **ab** Aemili**ā** discēdit et ad hortum it ubi rosae pulchrae sunt.

-Iulius **ab** oppid**ō** Tuscul**ō** venit ad villam.

-Iulia **ex** hort**ō** venit cum quinque pulchris rosis.

-amīcus meus **ex** Itali**ā** venit.

-amīca autem mea **ex** Galli**ā** venit.

-Quintus **ē** peristyl**ō** venit.

2. sine praepositiōne:

-si vocabulum est substantīvum quod est nomen oppidī. (e.g. Roma, Tusculum, Londinium, Lutetia, Athenae…)

exempla:

-Iulius **ab** oppid**ō** Tuscul**ō** venit = Iulius Tuscul**ō** venit.

-Cornēlius autem non Tuscul**ō** sed Rom**ā** venit.

-amīcus meus Graecus non Rom**ā** sed Athen**īs** venit. (*Roma*, casū ablatīvō est *Romā*. *Athenae* non habet numerum singularem sed pluralem tantum. itaque ab oppidō cuius nomen est Athenae dicitur: Athēn**īs**. nam casus ablatīvus plurālis primae declinatiōnis est –is –e.g. plurālī numero: nomin.: ancillae, accus.: ancillas, genet.: ancillārum, dat./ablatīvus: ancillis-)

III. **quo?**

responsum est casū accusatīvō:

1. cum praepositiōne **ad**:
-**si vocabulum est nomen quod <u>non</u> est <u>oppidī</u>**.

-Iulius **ad** vill**am** it.
-Cornelius **ad** oppid**um** Tuscul**um** it.
-Medus **ad** amic**am** su**am** it. (Medus esse vult cum amīcā suā Lydiā. Medus apud eam esse vult.)

2. cum praepositiōne **in**:
-**si vocabulum est nomen quod <u>non</u> est <u>oppidī</u>**:

-Iulia **in** hort**um** it.
-Hannibal **in** Itali**am** it.
-Quintus **in** cubicul**um** su**um** it.

responsum autem est **casu accusatīvō <u>sine praepositiōne</u>**:

si est **<u>nomen oppidī</u>** (Roma, Tusculum, Londinium, Matritum, Lutetia…)

exempla :

-quo it Medus? is Rom**am** it.
-quo it Cornelius? is Tuscul**um** it.
-quo it amīca tua? amīca mea Londini**um** it.
-amīcus meus Athen**ās** it. (*Athenae* non habet numerum singularem sed pluralem tantum. itaque ad oppidum cuius nomen est *Athenae* dicitur: Athēn**as**. nam casus accusatīvus plurālis primae declinatiōnis est –**as** –e.g. plurālī numero: nomin.: ancillae, <u>accusatīvus</u>: <u>ancill**as**</u>, genet.: ancillārum, dat./ablat.: ancillis-)

IV. **quā?**

responsum indicat locum **per quem** īre possumus.

quod responsum est casū ablatīvō vel casū accusatīvō cum praepositiōne **per**:

1. **casū ablatīvō**: (viā, portā, semitā –semita est parva via et angusta via-, ponte, etc.)

exempla: 1. Medus vi**ā** Latīn**ā** it.

2. Medus vi**ā** Latīn**ā** ab oppidō Tusculō ad ‘oppidum’ Romam it.

3. Medus vi**ā** Latīn**ā** Tusculō Romam it.

(=‘per viam’ Latīnam) (=ab oppidō Tusculō) (ad ‘oppidum’ Romam)

2. **casu accusātīvō** cum praepositiōne **per**

exempla: 1. is qui viā Latīnā venit **per** port**am** Capen**am** Romam intrat.

2. puer improbus ambulat **per** hort**um** et rosās calcat.